



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Veritates Æternæ Ex Prima Hebdomade Asceseos  
Ignatianæ Petitæ**

**Vogel, Matthäus**

**Constantiæ, 1731**

Circa Præceptum I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60667](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60667)

## INDEX PECCATORUM

Sive

Examen pro Confessione Generali.

## Circa Præceptum I.

1. An crediderit omnia, quæ S. Romana Ecclesia credit?
2. An verbis aut signis externis infidelitatem aliquam vel hæresin prodiderit vel probaverit, etiam solus, nullo audiente?
3. An fuerit nimium curiosus in investigandis rebus fidei; & an de aliquo fidei articulo dubitaverit?
4. An graves tentationes circa res fidei passus sit, & an negligens fuerit eis resistendo; an etiam consenserit?
5. An hæreticorum concionibus & cæremoniis interfuerit?
6. An apud te habuerit, vel legerit libros hæreticorum, aliosve libros ab Ecclesia prohibitos?
7. An scriberit omnia ad salutem necessaria?
8. An usus sit aliquo genere superstitionum, incantationum, aut divinationum per se vel per alios?
9. An schedulas superstitiones apud se habuerit ad sanitatem, aliámve rem obtinendam, & an alios ad hoc induxit?
10. An fidem habuerit somniis vel auguriis?
11. An verbis Scripturæ sacræ aut cæremoniis Ecclesiæ abusus sit in jocis & scurrilibus?
12. An nimium præsumendo de divina misericordia liberiū commiserit aliquod peccatum, vel in malo perseveraverit differendo emendationem?
13. An in rebus adversis fiduciam posuerit in Creaturis potius, quam in DEO?
14. An diffi-

diffidendo misericordiæ divinæ desperaverit de  
emendatione vitæ , aut remissione peccatorum ,  
aut salute sua ? 15. An murmuraverit contra  
DEum , conquerendo , quasi non esset justus ; vel  
reprehendendo ejus providentiam ; quia nos pri-  
vat , aut non concedit , quæ optamus ? 16. An  
rarissimè de DEO & salute sua serio cogitave-  
rit ? 17. An odium vel contemptum DEI ha-  
buerit , aut aversionem ab eo , aut à rebus ad sa-  
lutem spectantibus ? 18. An maledixerit vel blas-  
phemaverit DEum aut Sanctos , etiam cogita-  
tione tantum ? 19. An exposuerit se periculo  
peccandi mortaliter , vel complacuerit sibi in ali-  
quo peccato commisso ? 20. An persecutus aut  
calumniatus sit pios , aut bona eorum opera tra-  
duxerit , & impedierit , ne fierent , maxime an à  
Religione aliquem impediverit ?

### Circa Præceptum II.

1. An juraverit sine necessitate , sed cum ve-  
ritate & in re non mala ? 2. An juraverit falsum  
sciens esse falsum , aut saltem dubitans , an sit  
verum , sive ex joco factum sit & in re levi , si-  
ve alio modo ? 3. An juraverit promittendo ,  
quod postea sine gravi causa non observavit ;  
aut intentionem habendo non observandi , li-  
cet in relevi . 4. An causam dederit alicui , ut  
falsum juraret , vel non observaret juramentum  
licitum ? 5. An juraverit adjunctâ maledictio-  
ne v.g. auferat me diabolus , tale malum mihi  
eveniat , si non fecero hoc &c ? 6. An jura-

Ec

verit